



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CLXXII. Confirmatio aliquor novarum Constitutionum, & Ordinationum in
Capitulo Generali Ordinis Fratrum Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus
anno 1730. in Civitate Mexican. celebrato pro fœlici ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

liter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 6. Non obstant. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis præfatorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Januarii, 1736. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Jan. 1736. Pont. nostri Anno VI.

F. Card. Oliverius.

CLXXII.

Confirmatio aliquot novarum Constitutionum, & Ordinationum in Capitulo generali Ordinis Fratrum Bethlehemitarum in Indiis occidentalibus anno 1730. in Civitate Mexican. celebrato pro sælici regimine ejusdem Ordinis editarum.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Rediti nobis cælitus Sacrosancti Apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quæ pro sælici Religiosorum Ordinum exercenda Christianæ pietatis, atque charitatis præsertim erga Aegrotos, & Convalescentes opera pie, sancteque in Ecclesia Dei Institutorum regimine, & progressu provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, quo firma semper, ac illibata persistant Apostolici muniminis cum a nobis petitur adjungamus firmitatem.

Fratres Bethlehemitani nonnullas Constitutiones efformant.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Præfectus, ac Definidores generales, & Fratres Ordinis Bethlehemitarum nuncupat. in Regno Mexicano, ac Peruano, reliquitque Indiis occidentalibus dudum a Sede Apostolica instituti, quod ipsi in novissimo eorum Capitulo generali anno 1730. in Civitate Mexican. celebrato nonnullas novas Constitutiones, & Ordinationes pro salubri, ac prospera Ordinis, ac Fratrum præfatorum directione, regularisque ibidem disciplina observantia præfati ejusdem Ordinis, qui ut accepimus majora in dies, benediciente Domino, in iis partibus suscipit incrementa statui convenientes, & accomodatas, ac propterea ab ipsius ordinis Constitutionibus alias auctoritate Apostolica confirmatis aliqua ex parte discrepantes, vel etiam forsitan illis adversantes, reservato desuper nostro, & dictæ Sedis beneplacito ediderunt, tenoris, qui sequitur, videlicet:

De incorrigibilium expulsionem.

Primo impostertum expulsionem Fratrum incorrigibilium quotiescumque casus contigerit, fiant reservatis exacte dispositionibus Decretorum felicis Clementis VIII., Urbani VIII., & Innocentii XII. Summorum Pontificum S. V. Prædecessorum, ipsique pro tempore expulsi certiorari, & admoneri debeant, ipsos obstrictos nihilominus remanere votis solemnibus in vim suæ Regularis professionis emissis, quoad ea tamen quæ cum eorum statu comparabilia erunt.

II. Cum maxima, ut notum est inter utriusque Regni Convëntus distantia, & rara admodum, atque difficillima ab uno ad alterum sit transfretatio; Vicegeneralis pro tempore illius Regni, in quo Præfectus Generalis non residet, contra incorrigibiles, alioque delinquentes super quibuscumque excessibus procedere, eosque carcerare, processus compilare, & ita, exigentibus eorum criminibus, ex capite incorrigibilitatis ejicere possit, & valeat cum eisdem facultatibus, quas habet, ipsemet Præfectus Generalis totius Ordinis, servatis tamen Decretis, & Constitutionibus Apostolicis supra enunciatis, nec ejus assensum, & facultatem expectare teneatur, ne iniqui nimis diuturno carceri subijciantur, utque in re tanti momenti rite, recteque procedatur juxta præfata Apostolica decreta in singulis capitulis generalibus duodecim ex gravioribus Religiosis eligi omnino debeant, sex videlicet pro Regno novæ Hispaniæ, totidemque pro Peruano, de quorum consilio, & assensu tam a præfato Generali in Regno, in quo residerit, quam in altero a Vicepræfecto generali ad incorrigibilium expulsionem deveniant. Quoties vero tempore intermedio inter unum, & alterum Capitulum generale aliquem sive aliquos ex memoratis duodecim Religiosis ab hac vita migrare, vel ultra tres dietas absentes, vel legitime impeditos reperiri contingat. Tunc Præfectus generalis in Regno, in quo residet, & in altero Vicegeneralis alium, vel alios in deficientium locum unusquisque cum voto propriorum respective Assistentium ad eundem effectum assumere, & subrogare possit, & debeat.

Vicegeneralis facultate procedendi contra eisdem.

III. In celebratione Capitulum Generalium pro electione Præfecti generalis concurrere debeant personaliter, vel per Procuratorem omnes illi Vocales, qui in Constitutionibus Ordinis Cap. 9. §. 5. sunt designati eo modo, & forma, quibus in dictis Constitutionibus, & literis Apostolicis desuper emanatis præscribitur, dummodo Præfecti, & antiquiores Discipuli Conventuum nunc existentium, & impostertum adificandorum sint, illarum domorum, sive Conventuum, qui prius a Præfecto generali cum suo Definitorio declarati fuerint Conventus formales, nec tales declarari possint, nisi in eis continuo manuteneantur saltem octo Religiosi professi computatis etiam Tertiariis professis vulgo *Donatis*. Præfati omnes vocem habeant activam, & passivam; Discreti vero, & Novitiorum Magistri, qui Sacerdotes fuerint, activam tantum.

De Vocalibus Capituli Generalis.

IV. Nedom Assistentium generalium munus, verum etiam etiam Assistentium cujuslibet Provinciæ semper, & quodcumque sit incomparabile tam cum Officio Secretarii Generalis, quam cum Officio Præfecti cujuscumque Conventus, & e converso ista cum illis, & si aliquando evenerit, Religiosum aliquo ex prædictis Officiis jam fruentem ad alterum promoveri, tunc officium sive munus, quod prius obtinebat, vacet eo ipso, illudque sic vacans alteri Religioso professo, qui ad id sufficienter idoneus repertus fuerit, conferatur. Quod si Religiosus ad secundum munus promotus, illud acceptare noluerit, Præfectus Generalis cum suo Definitorio generali causas recusationis diligenter scrutetur, competisque nullius aut levis momenti, ad munus subeundum, eundem Religiosum compellat: Si vero iustæ, & legitime reperiantur, tunc in officio, quod administrabat, quatenus id utile Religioni fuerit, usque ad tempus præfinitum perseveret. Denique quia juxta disposita in Constitutione Cap. IX. §. 9. Assistentes Provinciæ illius Regni, in quo Præfectus Generalis residet, proprium munus exercere nequeunt: Idcirco tunc temporis possint eligi in Superiores locales hospitalium, & in illis etiam exercere alia officia Conventualia durante ipsius Præfecti Generalis residentia. Ista vero

Incomparabile Officiorum.

cessante,

cessante, eoque ab uno ad alterum Regnum se transferente, uni, aut alteri officio renunciare teneantur, nec utraque simul retinere presumant.

Renunciatio-
ne Officio-
rum, & sub-
rogatione ad
illa.

V. Quotiescumque unus, aut plures ex Assistentibus generalibus suo officio iustis, ac legitimis de causis per Generalem ejusque Definitorium, ut supra, recognoscendis, & approbandis, renunciaverit, aut ab humanis discesserit, tunc idem Generalis una quoque cum ipsius Definitorio eligat, aut substituat alium, aut alios Religiosos in illius, seu illorum officiis, quemadmodum Ordinis constitutio prescribit. Si vero qui dicta officia renunciavit, sit ex Assistentibus Provinciae illius Regni, in quo Generalis non residet, tunc poterunt Vicegeneralis & ejusdem Provinciae Assistentes, perpenis prius, ac rite examinatis, ut supra, Causis renunciationis, illam rejicere, vel admittere, prout Justitia postulat; Sic pariter si aliquis aut aliqui decesserint, ne Religio ullum patiarum detrimentum, alterum Religiosum five alios pro interim deputare, seu subrogare, ita tamen, ut eodem tempore de dicta renunciatione, & causis, nec non de respectiva alterius Religiosi deputatione, five Renunciantis confirmatione ab eis provisionaliter facta, certiore reddere teneantur Praefectum Generalem, ad quem una cum suis Assistentibus generalibus spectet tam praefata renunciationis, quam provincialis subrogationis, five confirmationis in officio approbato, & confirmatio, atque ideo si compererint causas hujusmodi renunciationis nullatenus verificari, neque subsistere, tunc, etiamsi a Vicegenerali cum ejusdem Provinciae Assistentibus, dicta renunciatio approbata fuisset, illam rejicere, & ad officii exercitium etiam reluctantem adigere, ac similiter deputationem, & subrogationem provisionaliter factam in casu mortis, quoties iustum id esse cognoverint, reprobare possint, ac valeant.

At in Assistentem qui eligi non possint.

VI. Nullus in Assistentem generalem eligatur, nisi prius, vel Assistentem Provinciae, vel Secretarii generalis munus per triennium exercuerit, vel per consimile tempus Magister Novitiorum, vel Praefectus, aut Vicepraefectus, five Praefectus cujusvis Conventus, Domus, vel Hospitii fuerit, Sacerdotibus tamen semper exclusis.

Dotes eligendi in Generale.

VII. Quamvis in Constitutionibus Ordinis Cap. 9. §. 8. expresse disponatur quod eligendus in Generalem inter cetera requisita, illud etiam habere debeat, quod ad minus bis aliquid ex Religionis hospitalibus gubernaverit, nihilominus, ut omnis dubietas de medio tollatur, quae magis idonei electionem aut retardet, aut impediat, hujusmodi requisito pollere censeantur, omnes, & singuli Religiosi, qui duabus saltem vicibus exercuerint officium Praefecti, aut una Praefecti, altera Praefectus, five una Praefecti, vel Praefectus, altera vero Secretarii Generalis, vel Assistentis Provinciae (Sacerdotibus semper exclusis) dummodo in unoquoque ex praefatis officiis triennium expleverint.

De Magistro Novitiorum eligendo.

VIII. Cum experientia teste aliquando haud facile sit, Religiosos invenire, qui officium Praefecti exercuerint, & ceteroquin aliis omnibus requisitis, ac qualitatibus praediti sint, ut in Novitiorum Magistros quemadmodum Constitutio praecipit eligi possint. Hinc ne hujusmodi difficultas huic electioni officiat, a qua cetera pendere dici potest, Praefectus Generalis una cum suo Definitorio plenam habeat imposterum facultatem eligendi, ac nominandi in Novitiorum Magistrum quemcumque dicti Ordinis Religiosum, qui morum probitate, ac gravitate commendetur, & ad hujusmodi officium aptum esse atque idoneum in Domino comperiat, quamvis memorato requisito Praefecti careat, isque nihilominus cum hujusmodi munus Magistri Novitiorum per triennium exercuerit in Capitulis generalibus vocem

habeat tam activam, quam passivam, si vero Sacerdos activam tantum.

IX. In omnibus electionibus, is, in quem concurrat major pars votorum ultra medietatem eligentium, censeatur canonicè electus, & electio legitima pronuntiabitur, quod si electus inter vocales connumeretur, ejus votum, five Scheda a scrutatoribus omnino recognosci debeat, compertoque sibi suffragium dedisse, cum hujusmodi electio sit ipso jure nulla, ad novam deveniatur electionem, quamvis omnia vota in eum convenissent, ac ipse pro illa vice ineligibilis prorsus evadat.

X. Nullus five Novitiorum five ex Religiosis professis, voce activa, aut passiva pro quocumque officio gaudere possit, nisi post elapsum triennium a solemnibus professionis emissionem, neque Praefectus Generalis, nec Definitorium generale ullo modo in hoc dispensare valeant, vel presumant.

XI. Intimatio personalis convocatoria ad effectum accedendi, & respectivè suffragandi in futuris Capitalis generalibus transmitti debeat, per annum saltem ante illorum celebrationem unicuique ex Praefectis localibus, primis Discretis, & Novitiorum Magistris utriusque Regni, qui in suis respectivè Conventibus propria officia actu exercent. Quod si ad eosdem, & praecipue ad ultramarinos, quibus facilius id accidere poterit, vel nullatenus, vel tandiu ante, intimatio non pervenerit se se pro intimatis, & convocatis haberi debent. Illi autem, pro veris vocalibus habeantur, & sint qui de tempore convocatoriae praefata munera exercent, licet ipsis fuissent jam deputati Successores, vel isti de tempore, quo Capitulum celebrabitur, suorum munerum jam fuerint possessionem adepti, atque ideo ab officio cessaverint, vel propter triennii lapsum five alia de causa, non tamen privationis, vel depositionis; In hoc quippe casu ad Capitulum generale dicti Successores accedent similiter Religiosi, qui sub nomine, & titulo Praefectus a Vicepraefecto generali illius Regni, in quo Generalis una residet cum suis Assistentibus fuissent provisionaliter destinati, & de tempore intimationis reperirentur in actuali regimine Conventuum, eorum scilicet; qui formales nuncupantur, ipsi jus habeant accedendi ad Capitulum tanquam veri vocales vice, & loco Praefectorum, dummodo tamen isti tunc temporis ad suos Conventus non accesserint, neque realem, & actualem proprii officii possessionem apprehenderint.

XII. Cum Conventus Civitatis Guathemalae proximior ceteris, & pro accessu, & recessu vocalibus utriusque Regni commodior sit, atque prima Domus, & Matrix totius Bethlemicae Religionis, in eo perpetuis futuris temporibus Capitula generalia celebrentur, & in hisce major Infirmary ejusdem Conventus, five Hospitalarius pro tempore suffragium habeat, & firma ceteroquin, ac in suo robore subsistant contenta in Constitutionibus Ordinis Cap. 9. §. 14. super Alternativa eligendi primos, & secundos Assistentes Generales utriusque Regni, ut apud Praefectum generalem Religiosi continuo, & ubique adsint, qui de statu, usibus, & moribus eorumdem Regnorum sint sufficienter instructi.

XIII. Quotiescumque canonicè in Praefectum generalem eligatur absens, tunc ne ob magnam locorum distantiam Religio in suo regimine aliquod patiarum dispendium, aut detrimentum, praedeceffor Praefectus generalis, five Vicarius generalis, qui juxta literas Apostolicas in forma Brevis Sanctae Mem. Benedicti XIII. sub datum 9. Aprilis 1728. Capitulo praefuit in Religionis regimine nedum tanquam Vicarius, sicuti in Constitutione Cap. 9. §. 5. disponitur continuet una cum Assistentibus generalibus in eodem Capitulo generali electis, sed & ab ipso Capitulo antequam dissolvatur, tres alii Religiosi per se-

In omnibus electionibus requiritur major votorum pars.

Nemo gaudet voce activa, & passiva nisi post triennium ab emissis professione.

De intimati-
onibus per
Capitalis ge-
neralibus.

Capitula Generalia celebranda in Civitate Guathemalae.

Quid praestandum quando absens in Generalem eligitur.

creta suffragia eligantur, qui in eodem Conventu de Guathemala commorentur, donec acceptationis electi Nuncius pervenerit. Si autem electioni de se facta iste expresse renunciaret, vel interim decederet, ad novam Præfæcti generalis electionem deveniatur cum solis votis ipsius Vicarii quatuor Assistentium generalium, Secretarii generalis ejusdem Capituli, & dictorum trium Religiosorum; Quod si tunc unus, vel plures ex præfatis Electoribus ultra tres dietas abessent, vel se hujusmodi munere abdicassent, aut abissent, in deficientium locum subrogati censeantur Religiosi antiquiores juxta antianitatem professionis, qui tunc in dicto Conventu aderunt, sive Conventuales fuerint, sive interpolatim residentes, dummodo nullum patiantur Canonikum impedimentum. Ita pariter si obitus prædicti Vicarii, vel Secretarii generalis acciderit, memorati Vocales, assumptis eodem modo, ac forma Vocalibus deficientibus, e Domo prædicta novum Vicarium, novumque Secretarium generalem eligant, ut nunquam desint vocales pro novo Præfæcto generali eligendo. Postremo eveniente obitu, aut renunciatione, vel depositione Præfæcti generalis, perdurante novennio, sui regiminis, diligenter, & exacte servantur disposita per antedictas literas Apostolicas Sanctæ Mem. Benedicti XIII.

Pro uno Regno Generalis Præfæctus, pro alio Vicegeneralis eligendus.

XIV. Præfæcto Generali in Regno Peruano commorante, Vicepræfæctus Generalis ab ipso una cum suo Definitorio ex Religiosis Regni novæ Hispaniæ, & viceversa in Regno novæ Hispaniæ residente Vicepræfæctus Generalis ex Religiosis Regni Peruani, qui tamen non sint Præfæcti, per secreta suffragia eligantur, quibus suas ipse vices committere debeat, prout in Constitut. Cap. IX. §. 9. Statuitur, atque in dicta Jurisdictione non amplius duret, quam per quadriennium cum dimidia anni parte tantum a die captæ ab eo possessionis computandum, nec in eodem officio pro quadriennio immediate sequenti confirmari quoquo modo possit; quadriennio autem ut supra cum dimidio anni integre expleto, si contigerit alium in Regno, ubi Generalis non residet, Vicepræfæctum Generalem, qui ejus vices sublineat, non fuisse destinatum, sive propter novæ electionis dilationem, sive ob electi decessum illuc debito tempore non pervenisse, tunc pro interim assumat, dictique Generalis durante necessitate vices exerceat Præfæctus pro tempore Conventus S. Francisci Xaverii Civitatis Mexicana, & respectively, B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Civitatis Lima, & si Præfæctus, ut supra subrogatus interim quoque periret, tunc in officio Vicegeneralis Definitorium Provinciæ suffectum esse censeatur.

Quis Provinciam regere debeat Vicegeneralis, & Generalis absentibus.

XV. Vicegenerales, qui hujusmodi officio eo tempore, quo Capitulum generale celebrabitur exercent, vel intra quadriennium sui officii aliquandiu exercuerunt, in eodem suffragium habeant, quamvis alteruter, vel uterque ob annalem, vel biennalem, aut aliam majorem residentiam, & moram Generalis in alterutro respectively Regno ab illius exercitio quemadmodum ordinis Constitutio Cap. IX. §. 9. disponit, destiterit. Quoties autem Vicegeneralis unius, vel alterius Regni ubi Generalis non residet ob legitimam causam abesse contingat, ne Religio, durante hujusmodi absentia careat Superiore, deputetur per Generalem, ejusque Definitorium loco dicti Vicegeneralis alius Religiosus, qui pro interim gubernio, ac regimini incumbat. Et si literæ patentes congruo tempore ante illius discessum non pervenissent, gubernium sit penes ejusdem Regni, seu Provinciæ Definitorium.

Ad quem spectet Fratrum admitt.

XVI. Imposterum ad Generalem in Regno, ubi residet, in altero vero ad Vicegeneralem privative spectet Religiosorum numerum augere,

vel imminuere, eos mutare, ac transferre de uno ad alterum Hospitali, juxta opportunitatem, seu necessitatem Conventuum, atque locorum, ad ipsos etiam pertinere tempore visitationis computare, cognoscere, rationem exigere, omniaque, & singula præcipere, & providere, durante dicta visitatione, quæ tam pro bono regimine Hospitalium, quam pro Spirituali, ac temporali consolatione Infirmorum, & Religiosorum, qui illorum curam gerunt, necessaria esse, sive juxta proprias conscientias in Domino expedire consueverint.

XVII. Qui ad habitum Religiosum cucullatum ob aliquod impedimentum, seu legitimam causam admitti non possunt, vel tantum recipiuntur viri simplices Tertiarii vulgo *Donati*, si deinde ipsorum aliqui perpetuo in Religione vivere optarent, & solemnem professionem emittere, postquam per biennium saltem tanquam *Donati* inservierint, possint per Præfæctos Conventuum una cum Discretis, seu gravibus, ac prudentibus Religiosis proponi Præfæcto Generali, ejusque Assistentibus, quibus plena, & sincera insimul transmittatur informatio super eorum vita, & moribus, obtentaque licentia in scriptis ab eodem Præfæcto Generali, ejusque Definitorio, ac præmissis anno Novitiatum cum clausura servatisque omnibus aliis requisitis, quæ cuilibet Novitio faciendæ, gerendæ, & servandæ sunt, admittantur ad professionem sub qualitate, & nomine Tertiariorum, sive *Donatorum*: Cucullam nunquam deferant, voce activa, & passiva perpetuo careant, & solummodo additi sint illis exercitiis, & officiis, quæ ipsorum statui conveniunt, Sacrificiæ videlicet, eleemosynarum perquisitioni, Horti, Coquina, Refectorii, aliisque hujusmodi, quæ unicuique prudenter, & opportune distribuuntur; De hisce autem ante, & tempore Novitiatum, ac immediate ante professionem certiorari debeant, ac plene edoceri, ut probe sciant omnia, & singula, ad quæ obligantur, & servare tenentur, neve ullo unquam tempore quidquam pro nullitate professionis allegare audeant, vel præsumant.

De transitu Tertiariorum, vel Donatorum ad professionem.

XVIII. Capitulum generale de novennio in novennium juxta antedictas literas Apostolicas factæ. Benedicti XIII. die 4. Maii 1725. signatas celebretur. Quia tamen evenire posset, præfatas declarationes, ordinationes, & statuta ob longum nimis ab Urbe ad præfata Regna iter, opportuno tempore ante proximi futuri Capituli celebrationem non pervenire, neque ob perdifficilem transfratationem, atque raro admodum contingentem ab uno ad alterum Regnum, ut dictum est transfratationis occasionem ad omnium Vocalium notitiam deduci posse. Hinc ad evitandas perturbationes, & controversias, quæ oriri inde possent, Præfæctus Generalis illud ad annum tantum prorogare valeat, si ita pro bono Religionis necessarium fore, aut expedire cognoscatur, dummodo ex novem octo saltem suffragia ab eodem Præfæcto Generali Assistentibus generalibus, aliisque, qui in literis Apostolicis diei 27. Maii 1732. pro electionibus Præfæctorum designantur secreto præfata concurrant: Iidem autem Vocales ad Capitulum ita prorogationem accedant, qui nulla facta prorogatione accessissent, & si eorum aliqui tunc temporis legitimo detineantur impedimento, subrogentur alii, ut supra num. 3. & 11. statutum est. Cumque non tam facile a præfatis Regnis ad Apostolicam Sedem recursus haberi queat, ubi iusta, ac urgens causa intercedat, imposterum, etiam Capitula generalia eodem tamen prorsus modo concurrentibus octo ex novem prædictis suffragiis, nec unquam ultra annum prorogari possint.

Capitula Generalia quolibet cogenda novennio, data Generali facultate proximam differendi ad alium annum.

XIX. Ad evitandas quascumque lites cognitio

dubiorum

Resolutio Dubiorum in

1736.
Regula ad quem pertinent.

Petita hujusmodi Constitutionum confirmatio.

Conceditur.

Ejusdem perpetua validitas.

Obstantium derogatio.

Præsentium Literarum transumptis danda fides.

Dat. die 27. Febr. 1736. An. VI.

dubiorum quorumcumque tam circa præmissa, quam reliquis Ordinis Constitutiones, quæ forsan imposterum, oriri, vel excitari poterunt eorumque interpretatio, Resolutio, & respectiva Declaratio (dammodo ipsis Constitutionibus, Bullis Apostolicis, Sacris Canonibus, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adversentur) ac plenaria executio ad Præfectum Generalem, ejusque Definitorium pro tempore private pertineant.

§. 2. Quare ipsi Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eisdem Exponentes specialibus favoribus, & gratis profectui volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatz existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, & attenta relatione venerabilis Fratris nostri Ludovici Episcopi Albanen. S. R. E. Cardinalis Pici nuncupati, supradicti Ordinis apud Nos, & Sedem prædictam Protectoris, qui jussu nostro Constitutiones, & Ordinationes hujusmodi mature, diligenterque examinavit, Nobis super præmissis facta, Constitutiones, & Ordinationes præsertim cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, ac quoscumque Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, prætendi, ac censei possent, supplemus, & sanamus, ipsarumque Constitutionum, & Ordinationum exactam, ac inviolabilem observantiam, omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, auctoritate, & tenore præfatis præcipimus, & demandamus.

§. 4. Decernentes easdem præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac iis, quos concernunt in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstant. præmissis ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis illiusque Hospitalium aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 27. Februarii 1736. Pont. nostri Anno VI.

Confirmatio Concordiæ inter Archiepiscopum, & Archimandritam Messanæ inita super diversis punctis Jurisdictionalibus.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

IN Apostolicæ Dignitatis Solio Divina disponente clementia meritis licet imparibus constituti, & per immaculata vestigia ejus, qui supra Petram ædificavit Ecclesiam incedere satagentes, pacemque inter Christianos quoslibet inducere, inducendamque confovere vigilantis sollicitudine meditantibus ad ea libenter intendimus, per quæ litibus, & controversiis inter eosdem Christianos præsertim Pontificali Dignitate præditos occurritur, nec non ea, quæ communi Concordiæ terminata sunt, ne in recidivâ contentions scopulum relabantur, approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sane pro parte Venerabilium Fratrum nostrorum Thomæ de Vidal, & de Nin moderni Archiepiscopi Messanen., & Silvii Valenti Gonzaga moderni Archiepiscopi Niceni, ac nostri, & Sedis Apostolicæ Nuncii Bruxellis commorantis, modernique Commendatarii Archimandritæ nuncupati Monasterii Archimandritatus nuncupati S. Salvatoris de Lingua Phari nuncupati Messanen. Ordinis S. Basilii, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias vertentibus variis litibus, & controversiis tam forsan in partibus, quam in Romana Curia coram certis partium illarum, & Curie hujusmodi Judicibus competentibus inter bo. mem. Josephum Migliaccio dum viveret Archiepiscopum Messanen. ex una, & dictum Silvium Archiepiscopum, & Commendatarium, qui ratione dicti Monasterii particulare, & separatum Territorium habere, ac Jurisdictionem quasi Episcopalem in sibi subjectis locis exercere, ac Synodum convocare, & in ea Examinatores deputare prætendebat ex altera partibus super exercitio Jurisdictionis quasi Episcopalis præfata per pro tempore existentem dicti Monasterii Commendatarium exercendam eodem Silvio Archiepiscopo, & Commendatario; quod ipse tamquam vere Ordinarius cum sua propria Diocesi distincta, & separata, ac independente cum Jurisdictione spirituali, & temporalis, ut quilibet Ordinarius in sua propria Diocesi habet, & vere esse Nullius a præfato Josepho Archiepiscopo recognosci, quodque Censuræ in fundatione dicti Monasterii favore pro tempore existentium Archiepiscoporum Messanen. constitutus pro omni Jure Episcopi pro tempore existentibus Archiepiscopis Messanen. juxta quamdam Concordiam inter bo. me. Ugonem dum etiam viveret Archiepiscopum Messanen., & tunc existentem Sicilia Regem initam solvi respectivè debeat, quodque confugientes ad Ecclesias præfate Monasterii subjectas propria auctoritate extrahere, & in Carceribus ad nomen Ecclesiæ detineri facere, nec non literas Dimissoriales suis Subditis concedere, & concursus ad Beneficia Curata tenere, & instituere respectivè valeat, quodque dispensationes, & literæ Apostolicæ ei dirigi possint: Josepho Archiepiscopo vero præfato, e contra quod præfatus Silvius Archiepiscopus, & Commendatarius minime sit Ordinarius cum separata Diocesi, & distincto Territorio, & vere Nullius, quodque Censuræ præfatus vigore fundationis præfati Monasterii, & Regionum Diplomatum a præfato Silvio Archiepiscopo, & Commendatario debeat, ac

CLXXII.

Proccemium.

Causæ licentiam vertentium inter partes.